

SESSION 1976

AGRÉGATION
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

CICERON A ATTICUS, ROME, JUILLET 59

Quam vellem Romae mansisses ! <mansisses> profecto si haec fore putassemus. nam pulchellum nostrum facillime teneremus aut certe quid esset facturus scire possemus. nunc se res sic habet. volitat, furit ; nihil habet certi, multis denuntiat ; quod fors obtulerit id acturus videtur ; cum videt quo sit in odio status hic rerum, in eos qui haec egerunt impetum facturus videtur ; cum autem rursus opes eorum et exercitus recordatur, convertit se in bonos, nobis autem ipsis tum vim tum iudicium minatur.

Cum hoc Pompeius egit et, ut ad me ipse referebat (alium enim habeo neminem testem), vehementer egit, cum diceret in summa se perfidiae et sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo quem ipse armasset cum plebeium fieri passus esset ; fidem recepisse sibi et ipsum et Appium de me ; hanc si ille non servaret, ita laturum ut omnes intellegerent nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. haec et in eam sententiam cum multa dixisset, aiebat illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse et adfirmasse nihil se contra eius voluntatem esse facturum. sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui. quod si non faceret tamen ei nihil crederemus atque omnia, sicut facimus, pararemus.

Nunc ita nos gerimus ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostrae augeantur ; rem publicam nulla ex parte attingimus, in causis atque in illa opera nostra forensi summa industria versamur ; quod egregie non modo iis qui utuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus. domus celebratur, occurritur, renovatur memoria consulatus, studia significantur ; in eam spem adducimur ut nobis ea contentio quae impendet interdum non fugienda videatur.

CICERON, *Ad Atticum*, II, 22